

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

27. Circulatum minus Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

terra ad se traxerit & imbibit suam aquam. Atque ita auxilio Dei vivi verè habebis salem vegetabilem extractum ab hoc individuo, quod sal est pretiosissimum, ac potestatem habet acuendi mercurium vegetabilem & dissolvendi duo luminaria, cæteraque omnia metalla imperfecta: Et cum hoc ipsa metalla reduci possunt in suam primam materiam.

*Hiscæ salibus pro hoc Lullii menstruo requisitis addam Experimentum quintum, quod de Portulaca marina, Apio Sylvestri, Squilla, Euphorbio, Pyrethro, Roremarino, herba Mercuriali Solatro, Oliandro, &c. alcalia præparare docet, quibus omnibus mercurium vegetabilem ex Vino extractum acere poteris conjunctim vel separatim.*

*Non hujusmodi menstrua solummodo fiunt ex alcalibus vegetabilium sed consciuntur etiam ex salibus mineralibus, qualia sunt sal commune, gemmæ, aluminis, &c. Ita fit*

## 27. Circulatum minus five Aqua salis Circulati Paracelsi,

*Lib. X. Archidox.*

R. **V**erum Elementum aquæ, vel ejus loco aliud sal, quod nondum planè ad siccitatem coctum sit, vel etiam sal gemmæ depuratum, affunde partes duas aquæ, mixtæ cum modico Raphani succo, putrefac in digestionem accuratam, quò longius eò melius; sine postea congelare, & putrefac denuò per mensem, deinde per retortam destilla, residuum per ignem validum urge, ut fluat, reverbera in retorta, igne continuo, solve in marmore, aquam hinc desluentem affunde desuper, & putrefac iterum, destilla denuò usque ad oleositatem, conjunge cum spiritu vini (*Phil.*) & impurum decidet, quod separa, purum verò in frigido cristallifetur, affunde iterum destillatum, & toties cohoba, donec oleum fixum in fundo remaneat, & nihil dulce postea transgrediatur. Digere porrò per mensem, deinde destilla tandiu, donec Arcanum salis per alembicum transcendat. Nec pœniteat diutini laboris, namque hæc est tertia pars omnium Arcanorum, quæ in metallis & mineralibus

bus abscondita sunt, & sine qua nihil frugiferi, nihil perfecti perfici potest.

*Idem Circulatum Paracelsus descripsit in Tractatu de Reductione Metallorum in primam materiam vel Mercurium currentem (qui liber in Rosario novo olympico Benedicti Figuli quartum locum tenet) quam descriptionem cum hac comparare, ut sese invicem illustrent, consultum duximus. Recipe, inquit, sal gemmæ subtilissimè pulverisatum, pone in crucibulo forti, & augendo ignem per gradus, sal funde, fufum in fluore retine per horas tres; sal frigefactum item pulverisa & in crucibulo novo, juxta methodum prædictam funde & sic procede quinquies vel sexies. Denuò sali pulverisato affunde tantum succi Raphani prius calefacti; (sal commisce & comminue cum parum succi, cochleari ligneo, in vase ligneo, dissolutum cola per manticam & sepone, adde rursus parum istius succi, & repete usque dum sal totum sit dissolutum) ut dissolvatur, coagula vel abstrahere per alembicum aquam, sal reduc in pulverem, putrefac in balneo per sex dies, tum destilla igne aperto, instar Aquæ Regis, observatis ignis gradibus, usque nihil ampliùs ascendat, urge igne fortissimo, ut optimè calcinetur per horam, pulverisa sal ita calidum subtilissimè in marmore, & in loco humido dissolvetur per se, solum omne putrefac in Balneo per tres dies, tum ex arena gradatim & lege artis destilla per alembicum omne liquidum, corpus residuum & bene pulverisatum solve in marmore, putrefac & destilla, ut antea, repete hoc ter, quod tum adhuc remanserit, hoc reduc in pulverem & pone in cucurbita, cui superfunde has tres destillatas aquas, putrefac per quinque dies, iterumque destilla ex arena, ita tandem putrefaciendo & destillando sal totum ascendet per alembicum, excepto parvo capite mortuo rejiciendo; aquam verò à salis substantia destillatam putrefac per diem & noctem, & rectifica bis vel ter, & habebis Aquam salis.*

*Menstruum hoc ex sale marino vel gemmæ præ ceteris mensuris vegetabilibus simplicibus elegit Paracelsus seu optimo, quoniam juxta ejus doctrinam, matrix sit vel centrum metallorum & mineralium.*

*Quoniam, inquit, experimentis edoctus ego, & in aliis quoque libris attigi primam Essentiam seu quintam Essentiam elementi aquæ esse centrum metallorum & mineralium, & alibi quoque*

que adunxi, quòd quilibet fructus mori debeat in eo, in quo vitam accepit ( *in M. S. Germanico hæc ita leguntur; Das ein iegelich frucht in seiner Mutter, darinnen es das leben überkommen, sterben muss, hoc est, quod quilibet fructus mori debeat in eadem matrice, in qua vitam suam nactus fuerit* ) ut novam postea vitam meliorem accipiat, & sic per depositionem veteris corporis in primum Ens reducatur: idcirco hîc extractionem centri aquæ, in qua metalla corpus suum amittere debent, adjiciemus.

*Menstruum hoc explicabimus per membra sua, quorum primum est Oleum salis fusi per deliquium. In processu primo sal marinum vel gemmæ dissolvit aquâ succo raphani commixtâ, putrefacit, & fortiori igne destillat, caput mortuum verò, (sal potius residuum) solvit per deliquium in marmore. In Recepto secundo sal gemmæ quinquies vel sexies fustum prius, in ana succi raphani calefacti dissolvit, coagulât, putrefacit, & communis Aquæ fortis instar destillat, sal residuum adhuc calidum in pulverem redactum in loco humido dissolvit per deliquium. Aliquando absque fætido hoc raphani succo, istud oleum salis per deliquium præparat compendiosius, videlicet ex sale calcinato cum Nitro: Receptum hujusmodi est, ut sumas salem communem & salem urinæ æquis partibus. Lege alchymia calcinetur horis duabus, postea resolvatur in cella more usitato, &c. Ex hoc calcinato sale destillatur spiritus, qui resolvit aurum in oleum, quòd si rursus extrahatur & optimè præparetur, Aurum potabile præstantissimum comparabitur, sin citra extractionem (destillationem) illam aurum tantum resolvatur, tunc pro aurifabris in deaurando ars est subtilissima, & pro fabris ferrariis ad deaurandum thesaurus constans & pretiosus. Oportet tamen eos in eo præparando esse alchymia peritos. Libro de Rebus Nat. cap. 4. de sale pag. 190. Paracelsum per salem urinæ voluisse nitrum, facillè probatur ex sequentibus. Quocunque loco, inquit, profunditur urina aut hominis aut brutorum, eodem succedente tempore salnitrum enascitur. Urina enim collecta & præparata in salem alium, salnitrum vocatur. Ibidem. Verum extra omne dubium ponit idem Receptum, Tract. de sale pag. 171. ita descriptum: Sumatur sal & salnitrum æquali portione, calcinentur per se ad fluxum & fusionem, postea resolve in suum liquidum.*

Secundum est Oleum vel Essentia salis. In processu primo oleum salis per deliquium recipit, & toties spiritu vini phil. cohobatur, donec sal instar olei in fundo maneat, & nihil phlegmatis ascendat, si verò loco spiritus vini phil. sumatur menstruum aliquod vegetabile, exempli gratiâ, menstruum, de quo jam tractamus, modò præparatum, sive sal circulatum, non necesse est ut sal dissolvatur per deliquium, sed minori labore redigitur in Oleum vel Essentiam naturalem. Quamquam, inquit, plures sint viæ ad extrahendum Ens primum salis, hæc tamen utilissima & expeditissima est, & post hanc alia illa via est, cujus de Elixire salis mentionem fecimus. Ut nempe sal recens cum Aqua solvente, quæ est spiritus salis destillatus (circulatum minus ex sale, aqua salis circulati, Arcanum salis, menstruum de quo jam agitur) permixtum putreficetur, & tamdiu destilletur, donec salis substantia solvatur, ac in oleositatem perpetuam reducatur, corpore phlegmatis in modum ipsi subducto. *Locus allegatus extat libr. 8. Archid. de Elixiriis pag. 31. R. Sal optimè præparatum, albissimum, & mundissimum, hoc in pellicanum ponatur cum Aquæ solventis (sub Aqua solvente nostra Aqua salis (circulati) intelligenda est. Libr. X. Archid. pag. 38.) tanta quantitate, quæ sexies pondus illius superet, in fimo digerantur equino simul uno mense, postea separetur Aqua solvens per destillationem, & rursus affundatur, ac separetur ut prius, idque toties donec sal in oleum convertatur. Hæc Essentiæ salis confectio cum Circulato minore, multò melior & exquisitior est priori illa præparatione per vini phil. spiritum peractâ; licet Paracelsus methodum priorem posteriori utiliorè & magis expeditam esse affirmat, quod de utriusque usu, non præparatione, intelligendum est. Siquidem salis Essentia & citius & melius præparatur circulato quodam minore, quàm simplici Vini phil. spiritu; ex qua Essentia salis quocunque etiam modo confecta deinde fit Arcanum salis., quod utilius esse & expeditius, Rerum Essentias extrahendi, quàm oleum salis nondum ita graduum ratio jubet. In processu secundo Paracelsus oleum salis per deliquium putrescere quidem mandat, sed de putrefactionis medio, vini phil. spiritu vel menstruo vegetabili simplici quodam nullam facit mentionem, sine quo tamen sal non ascenderet in alembicum, & si destillaretur, nullius tamen esset usus in essentiarum extractionibus. Cum Vini phil. spi-*

*Spiritu itaque putrefecit oleum salis per deliquium per aliquod tempus, deinde putrefactum destillavit fortiori igne, salis residuum iterum solvit in marmore, dissolutum cum uovo vini phil. spiritu vel menstruo veget. simplici quodam toties putrefecit & destillavit, donec totum destillaverit in Aquam salis spiritualem.*

*Tertium membrum consistit in reductione Essentiae salis in Arcanum ejusdem. Naturalis enim (id est, salina salis) Essentia cohobando aliquoties cum Vini phil. spiritu, ascendit unà cum eo, fit dulcis, & transmutatur in Arcanum salis sive Essentiam artificialem, de quibus Arcanis plura libro secundo de Medicamentis. Sal commune itaque, unà cum Vini phil. spiritu destillatum per alembicum, est Circulatum minus Paracelsi, Aqua salis Circulati, primum Ens salis, Arcanum salis, Aqua solvens, Spiritus salis destillatus, Matrix & centrum metallorum & mineralium, &c. dicitur Circulatum ob Essentiae salis circulationem vel digestionem per mensem cum spiritu vini phil. vel quod probabilius, ob communem omnium menstruorum vegetabilium circulationem per 30, 40, vel 60. dies, posteaquam menstruum jam fuerit confectum, ita ut circulatio haec, licet in nostro Recepto omissa, subintelligenda sit in hisce Paracelsi circulatis. Non ideo dicitur Circulatum minus, ac si sal commune minores, quam caetera salia, habeat dissolvendi virtutes, sed quia hanc tantum, non vero ut circulata majora, superadditam habeat tingendi qualitatem, ceu sal circulatum: Eodem etiam modo confici possunt Vitriolum circulatum, Alumen circulatum, Tartarus circulatus, &c. Hac quoque ratione, inquit Paracelsus, Arcanum vel magisterium Vitriolo conficiendum, ut & ex omnibus aliis salibus. Libr. X. Arch. cap. 3. pag. 38.*

*Tandem quemadmodum salina salis Essentia suam in Vini phil. spiritu per digestionem & cohobationem amittit salsedinem, & dulcis fit, ita communis spiritus salis hoc spiritu Vini permixtus & digestus, menstruum fit dulce; ita fit*

K 2

Spi-